

Hinc 5<sup>o</sup> particulae vel minimae, modo sensibiles, sedulo colligendae et custodiendae sunt, cum Christum realiter contineant: non tamen summa et inquieta adhibenda est vigilantia, quia Christus sacramentum Eucharistiae instituendo quædam illius fragmenta deperdenda prævidit et solummodo curam prudentem a nobis exigit; quod rubrica missalis Romani supponit dicens: « Sacerdos inspicit corporale, colligit fragmenta cum patena, si quæ sint in eo. »

§ V. — De cultu Christo in divina Eucharistia debito.

Lutherani, nolentes Christum esse in Eucharistia extra usum, et Calvinistæ præsentiam ejus realem negantes, contendunt nullum cultum huic sacramento exhibendum esse, vocantque Catholicos *artolatras*, seu panis adoratores.

PROPOSITIO.

*Cultus latræ Christo debetur in Eucharistia.*

1<sup>o</sup> Ista propositio est de fide. Concil. Tridentin. habet, sess. 13, can. 6: « Si quis dixerit in sancto Eucharistiæ sacramento Christum unigenitum Dei Filium non esse cultu latræ, etiam externo, adorandum, atque ideo nec festiva peculiari celebitate venerandum, neque in processionebus, secundum laudabilem et universalem Ecclesiæ sanctæ ritum et consuetudinem, solemniter circumgestandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, et ejus adoratores esse idololatras; an Thema sit. » Ergo 1<sup>o</sup>.

2<sup>o</sup> *Prob. traditione.* Citari possent S. Greg. Naz. in oratione funebri sua sororis Gregoriæ; S. Chrysost. in Homil. 24, in I Epist. ad Cor., etc. Cæterorum teneat locum S. Aug. in Ps. 98, n. 9: « Et quia in ipsa carne hic ambulavit, et ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit, nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit: inventum est quemadmodum adoretur tale scabellum Domini, et non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando. » Ergo.

Unde Leibnitz, *Syst. Theol.* p. 260: Adorasse (Eucharistiam) et veteres constat; et sane Ambrosius atque Augustinus illud psalmi, *Adorate scabellum pedum ejus*, de adoratione carnis Christi in mysteriis interpretantur. »

3<sup>o</sup> *Praxi Ecclesiæ.* In cunctis liturgiis, etiam antiquissimis, Christus in Eucharistia adoratur, ut fuse et clare ostendit P. Le Brun.

4<sup>o</sup> *Ratione.* Constat, ex dictis, totum Christum sub speciebus consecrat modo permanenti residere: atqui Christus, cum Deus sit, cultu latræ est adorandus, ubicumque existit: ergo.

Cultus igitur quem exhibemus Christo in Eucharistia non terminatur ad species quæ suo genere tamen honorari possunt, sed ipsi personæ Christi redditur, et ideo est absolutus.

Dicamus cum synodo Trid., sess. 13, cap. 5: « Pie et religiose admodum in Dei Ecclesiam inductum fuisse hunc morem, ut singulis annis peculiari quodam et festo die præcelsum hoc et venerabile sacramentum singulari veneratione ac solemnitate celebraretur, atque in processionibus reverenter et honorifice illud per vias et loca publica circumferretur. »

---

CAPUT SECUNDUM.

DE MATERIA SACRAMENTI EUCHARISTIE.

Nomine materiæ hujus sacramenti, intelliguntur elementa quæ ad illud consciendum adhibentur: in omnibus ecclesiis, catholicis, schismatis et hæreticis, adhiberi solent panis, vinum et aqua. Itaque dicemus 1<sup>o</sup> de pane; 2<sup>o</sup> de vino; 3<sup>o</sup> de aqua; 4<sup>o</sup> de modo quo materia debeat esse præsens et determinata; 5<sup>o</sup> de unione utriusque speciei in consecratione.

## ARTICULUS PRIMUS.

## DE PANE EUCHARISTICO.

Errarunt olim circa hoc punctum, 1º impuri Gnostici, de quibus S. Epiphanius, Hæresi 26, qui, inter alia abominanda, fetum ex utero extractum, in mortario contumsum, offerebant in sacrificium et velut perfectum pascha habebant. « Nonnulli eos etiam Borboritas vocant, quasi » cœnosos, propter nimiam turpitudinem quam in suis » mysteriis exercere dicuntur, » inquit S. Aug., Hæresi 6. 2º Montanistæ seu Cataphryges, qui de sanguine infantis annui, ope punctionum in toto corpore factarum extracto et farinæ immixto, panem suum eucharisticum conficiebant. Si « puer mortuus fuerit, habetur apud eos pro » martyre; si autem vixerit, pro magno sacerdote; » S. Aug., Hæresi 26. » 3º Artotyritæ, a verbis græcis αρτος panis, et τυρος caseus, offerebant in Eucharistiam panem et caseum, ut refert ibidem S. Aug.

## PROPOSITIO.

*Solus panis triticeus adhibendus est ad consecrationem Corporis Domini.*

*Prob.* 1º *verbis institutionis.* Christus enim accepit *panem, benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait, etc.* At panis simpliciter dictus est panis triticeus. 2º Concilio Florentino, in quo Græci et Latini erant coadunati, ubi in sess. ultima habetur: « De pane, sive azymus, sive fermentatus fuerit, non curant Græci, dummodo ex tritico constet; » et Decreto ad Armenos, in quo Eugenius IV, de Eucharistia loquens, ait: *Cujus materia est panis triticeus.* 3º Constanti utriusque ecclesiæ Latinae et Græcæ atque diversarum sectarum praxi.

*Hinc* 1º *panis ex millio, oryza, fabis, castaneis, nucibus, amygdalis, vel ex radicibus, ut manioc, pomme-de-terre, vel etiam ex farre vel hordeo, épeautre, orge, etc., confectus, non est materia valida; quia evidenter non est*

*triticeus, et nonnisi cum addito dicitur panis, v. g., hordeaceus, fabeus, oryzeus, etc.*

*Hinc* 2º *panis de silagine, seigle, est materia dubia, quia nonnulli auctores, inter quos S. Th., 8 part., q. 74, art. 3, ad 2um, Estius, Tournet, etc., arbitrantur illud granum ex vero tritico in malis terris seminato nasci, et speciem a frumento distinctam non constituere: ali⁹ vero contendunt illud a frumento specie differre, et panem ex illo provenientem non simpliciter dici panem. Nunquam igitur talis adhibendus est panis, neque ut plebs audiat missam, neque ut moribundus suscipiat viaticum; quia extra casum extremæ necessitatis, materia dubia uti non licet: unde Rubrica Missalis, tit. de Defectibus, habet: « Si panis non sit triticeus, vel si triticeus admixtus sit granis alterius generis in tanta quantitate ut non neat panis triticeus, vel sit alioquin corruptus, non conficitur sacramentum. »*

Contra vero, si granorum alterius generis commixtio sit in parva quantitate validatiæ materiæ non nocet, nec communiter reddit illicitam, quanquam valde optandum ut triticum sit purum, panisque pia sollicitudine confectus et albedine nivi similis. Optimum religiosæ hujus sollicitudinis exemplum præbuerunt in undecimo saeculo Cluniacenses monachi, qui, ut scribit Ulricus in Tractatu de Consuetudinibus celebris istius monasterii, grana frumenti, quantumvis puri, singulatim seligebant, lavabant, in sacco mundo ad hunc usum destinato deponebant; vir bonus et commendabilis saccum ad moletrinam deferebat, molas lavabat alba et amictu indutus, cibrum abluebat, farinam pluries incernebat; deinde tres monachi, sacerdotes vel diaconi, cum uno fratre converso, albis et amictis induti, summa cum cura conficiebant hostias, Horas canonicas vel Officium B. Mariæ interea continuo cantantes.

*Hinc* 3º *massa triticea cruda, frixa aut elixa, frite ou cuite dans l'eau bouillante, non vero cocta per modum panis, ut sunt placenta, libum, lagatum, des gâteaux, des tourtes, des gaufres, etc., ad validitatem sacramenti*

probabilius non sufficeret, quia panis usualis non reputatur. Siccata vel torrida ad summum etiam esset materia dubia, quæ igitur nunquam adhiberi posset. An autem fuerit cocta in cibano, sub cinere, vel ope ferri calidi, ut fieri solet, parvi refert, dummodo panis simpliciter dici possit.

*Hinc 4º* panis lacte, melle, butyro aliisque liquore subactus, loco naturalis aquæ, non est verus panis usualis, nec proinde materia valida : si modica esset alterius liquoris quantitas aquæ commixta, valida, sed illicita esset materia.

*Hinc 5º* panis mucidus, dummodo non sit putridus vel omnino corruptus, est validus, sed graviter illicitus.

*Hinc 6º* hostiæ rubræ, quibus sigillantur litteræ, non reputantur ad consecrationem validæ, quia non sunt panis usualis, nisi admodum parva cinnabaris quantitate intactæ fuerint, et in eo casu eis uti graviter illicitum esset. Sic S. Ligorius, l. 6, n° 199.

*Hinc 7º* forma panis consecrandi ad validitatem sacramenti non pertinet ; sed, ex Ecclesiæ præcepto, debet esse apud nos figuræ orbicularis et integræ. Major est formula pro sacerdote celebrante, et minor pro populo. Cum minore, si alia haberi non possit, privatum celebrare licet, modo absit scandalum ; imo et publice die festo vel domini, monendo populum ut præcaveatur scandalum : item ut viaticum moribundo administretur.

Hostiam fractam vel enormiter maculatam sine causa consecrare, esset peccatum mortale ; si leviter sit fracta aut maculata, peccatum est duntaxat veniale ; et nullum erit peccatum si adsit causa, puta si macula vel fractura post oblationem tantum advertatur. Ita S. Ligorius, l. 6, n. 204, et plures apud ipsum.

#### *De pane azymo vel fermentato.*

Michael Cerularius, patriarcha Constantinop. creatus an. 1043, primus in Latinos pane azymo utentes insurrexit, contenditque eos valide non consecrare, et odioso nomine appellavit *Azymitas*. Photius autem primus schis-

matis Graeci auctor, in nono saeculo, Latinos odio et calumniis prosequens, eis non exprobravit quod pane azymo uterentur. Unde P. Sirmond concludit usum azymorum in Ecclesia Occidentali intra nonum et undecimum saeculum incepisse. Plerique eruditi, e contra, contendunt usum fermentati nunquam in ea Ecclesia fuisse receptum. Card. Bona, de Rebus liturgicis, l. 1, cap. 23, docet Graecos usum fermentati semper retinuisse, et Latinos in primis saeculis azymum vel fermentatum pro libitu adhibuisse, usque ad initium decimi saeculi, quo usus azymorum lege generali fuit præscriptus.

#### *PROPOSITIO.*

*Valet consecratio, tum in azymo, tum in fermentato, et disciplina utriusque Ecclesiæ retinenda est.*

*Prob. 1a pars.* Valet consecratio tum in azymo, tum in fermentato ; nam 1º uterque est simpliciter panis, et qualitas fermenti naturam ejus non mutat. 2º S. Pontifex Leo IX, Michaelem Cerularium redarguens, non illi exprobravit quod cum Orientalibus fermentato uteretur, sed quod Latinos haberet ut haereticos. 3º Concil. Florent., Decreto unionis, sess. ultima, apud Labbe dicit « in » azymo sive fermentato pane triticeo corpus veraciter » confici ; sacerdotes quoque in alterutro ipsum Domini » corpus confidere debere, juxta suæ Latinæ vel Orientalis » Ecclesia consuetudinem. »

*Prob. 2a pars 1º* ex decreto concilii Florentini modo citato ; 2º ex Constitutione Bened. XIV, *Etsi pastoralis*, anni 1742, § 6, n. 10, in qua, sub penitentiæ perpetuae suspensionis a divinis, confirmat prohibitionem ne Latinus aut Graecus præter proprium ritum celebret. Ergo.

At, si Latinus in locis Graecorum, vel Graecus in locis Latinorum inveniatur, petitur in quo pane consecrare debat : si existant ecclesiæ ipsius ritus, pane sibi præscripto uti decet. Est sententia communis, ut asserit S. Ligorius, l. 6, n. 203. Si vero ecclesiæ sui ipsius ritus non existant, ut si Graecus per Galliam transeat, pane in Ecclesia in qua versatur usitato uti potest, et probabilius etiam pane

sibi proprio, ut docent Natalis Alexander, P. Antoine, Suarez, Tournely, S. Ligorius et communiter alii, juxta regulam de lege locali. Contendit tamen Billuart sacerdotem peregrinum teneri, ex constitutione S. Pii V, *Providentia Romani pontificis*, anni 1566, et ex altera Benedicti XIV, *Etsi pastoralis*, § 6, proprium servare ritum, nisi vel notable timeat scandalum, vel fixum in ea regione acquirat domicilium et clero incorporetur. Hæc sententia sola videtur sequenda.

*Dices* : Christus consecravit in azymo, et dixit : *Hoc facite in meam commemorationem* : ergo consecrandum est in azymis.

*Notandum* moveri controversiam inter theologos et Scripturæ sacræ interpres, an Christus sacram instituendo Eucharistiam, pane azymo vel fermentato usus fuerit. Quæstio hæc pendet ab altera, scilicet quandonam Christus instituerit hoc sacramentum. Latini communiter docent Christum ultimam Agni paschalis cœnam celebrasse feria quinta ad vesperam, tempore quo non licebat apud Judæos uti pane fermentato; Græci vero dicunt, ut usum panis fermentati defendant, Christum uno die cœnam Agni paschalis anticipasse, et ideo adhibuisse panem tunc usitatum, videlicet fermentatum.

A solvenda hac quæstione controversa abstinemus.

*R. Nego conseq.* Nam præceptum Christi dicentes, *Hoc facite*, etc., in substantiam ipsius actionis cadit, non vero in circumstantias, alioquin eadem hora, post cenam, cum iisdem vestibus, etc., consecrandum esset: porro fermentum in pane ad substantiam sacramenti non pertinet, *ut diximus*. Ergo.

## ARTICULUS SECUNDUS.

### DE VINO EUCHARISTICO.

Ebionitæ, quamdam sobrietatis laudem quærentes, panes quidem azymos ad conficiendam Eucharistiam adhibebant, sed loco vini aquam substituebant, ut refert S. Epiph., Hæresi 50.

Tatianus, in secundo sæculo, *aquam solam*, inquit idem Epiph., Hæresi 46, *in mysteriis usurpavit*.

Ex Tatiano orti sunt Encratitæ, a verbo græco εὐκρατος idem significante ac continens vel abstinentes. Hi, juxta eundem S. doctorem, Hæresi 47, dicebant vinum esse diabolicum, id est, a diabolo creatum, et ideo in Eucharistia illo abstinebant. Idem faciebant Manichæi, propter eamdem rationem.

Quidam episcopi et sacerdotes Africæ, tempore persecutionis, a vino in sacrificiis matutinis abstinebant, ne ex odore yni agnoscerentur. Non præcise contra fidem errabant, sed institutioni et præcepto Christi adversabantur, ut ostendit S. Cyp., Epist. 63.

Illi omnes dicti sunt Aquarii, ut notat S. Aug., Hæresi 64.

### PROPOSITIO.

*Solum vinum ex vite est materia consecrationis calicis.*

*Prob.* 1º *verbis institutionis*. Christus enim in coena ait discipulis: *Non bibam de hoc genimine vitiis, usque in diem illum*, etc. Pronomen *hoc* indicat materiam in calice contentam ante consecrationem fuisse jus de vite, id est, vinum; 2º decreto ad Armenos, in quo de Eucharistia dicitur, *cujus materia est panis triticeus et vinum de vite*; 3º perpetua traditione, ut ex testimonii Patrum supra citatis constat; 4º praxi omnium ecclesiarum et sectarum. Ergo.

*Hinc* 1º *jas ex pomis, pirus, cerasis, moris, malognatis, etc., expressum, aliasve quilibet liquor, non ex vite proveniens, ad consecrationem calicis non esset materia valida.*

*Hinc* 2º *non magis valeret jus in uvis adhuc contentum vel in pane imbibitum, quia non habet formam vini; nec omphacium, gallice *verjus*, quia nondum est vinum simpliciter dictum, nec acetum, quia est vinum substantia liter corruptum; nec sapa, seu vinum ad medium aut tertiam partem coctum, quia non est amplius simpliciter*

vinum; nec lora, id est aqua expressis acinis superfusa, gallice piquette.

S. Cong. S. Officii, julio 1706, declaravit liquorem ex uvis pressis ope cuiusdam fermentationis expressum, in *Æthiopia*, ubi aliud vinum deficit, usitatum, esse materiam divini sacrificii validam ac licitam (*Ferraris, v. Euch. art. 2. n. 34.*)

*Hinc* 3º vinum acescens est materia valida, siquidem substantia vini existit, sed illicita, propter honorem sacramento debitum. Si post consecrationem sacerdos graviter dubitet an vinum sit omnino acetum, vinum certo validum consecrandum est sub conditione: consecrandum est, ne sacrificium maneat incompletum; sed conditionate, ne si prior consecratio calicis fuerit valida, aliud incipiatur sacrificium quod maueret imperfectum. Ita S. Ligoriūs, l. 6, n. 206. Vinum graviter dubium super quod verba consecrationis fuerunt prolatā, in vas mundum erit fundendum, et, post communionem, ante primam ablutionem sumendum.

Sacerdos autem vinum acescens aut etiam aliquantulum acre, extra necessitatem consecrans, mortaliter peccat, ut expresse dicit Rubrica Romana de Defectibus, § 4, n. 2. Dicimus, *extra necessitatem*, quia plurimi, apud S. Ligoriūm, n. 207, *Queritur* 1, probabiliter docent quod, deficiente alio vino, adhibere liceat vinum parum acescens, prout facere solent viri probi: imo licitum fore, urgente gravi necessitate, uti vino notabiliter acescente, modo constet adhuc esse vinum; non vero si dubium foret, ut de pane dubio diximus.

*Hinc* 4º valida est consecratio in musto, quia mustum substantialiter est vinum, et ita nuncupatur: sed, extra casum necessitatis modo expositae, graviter illicita esset, tum propter dispositionem rubricæ superioris citatae, tum propter naturalem indecentiam et erga sacramentum irreverentiam. Quidam existimant devotionem populi esse causam sufficientem ut primitiæ uavarum exprimantur in calice, v. g., die Transfigurationis, juxta Rubricam Missalis nostri: sed curandum ut in parva quantitate exprimatur jus.

*Hinc* 5º vinum aliis liquoribus vel aromatibus in modica quantitate immixtum, est materia valida, sed illicita, propter rationes in numero præcedenti expositas. Si commixtio in notabili sit quantitate, materia erit dubia ac proinde nunquam adhibenda.

*Hinc* 6º plures dubitant an vinum congelatum valide consecrari possit; quia 1º non est potabile; 2º quia aqua congelata ad Baptismum non valeret. Alii vero communius docent illud valide consecrari posse; quia 1º substantiam vini retinet; 2º vinum nihilominus appellatur; 3º si species vini post consecrationem congeletur, sanguis Christi sub illa remanet; siquidem ex Rubrica, de Defect. § 10, n. 11, habetur: « Si in hieme sanguis congeletur in calice, involvatur calix pannis calefactis, donec liquefiat. » Nec valent rationes oppositæ. Non 1ª, quia si vinum congelatum non sit potabile, hoc fit per accidens, quod facile tollitur; panis nimis obduratus non est comestibilis, et tamen est materia valida: ergo *a pari*, etc. Non 2ª, quia Baptismus non est sacramentum permanens sicut Eucharistia, nec conferri potest, nisi per modum ablutionis, ut fert ipsius nomen, et ablutio non fit, nisi aqua hic et nunc fluat.

Quidquid sit, certum est non licere vinum congelatum consecrare, propter reverentiam sacramento debitam: at si per inadvertentiam vel aliter hujusmodi vinum fuerit consecratum, valet sacrificium; et S. Ligoriūs affirmit aliud vinum non esse consecrandum, quia prima sententia nulla pollet ratione solida.

*Hinc* 7º valet et licita est consecratio in quolibet vino naturali, gallico, hispano, italo, albo, rubro, generoso, insipido, etc., quia unumquodque simpliciter est vinum. Reverentia erga sanctissimum sacramentum postulat ut, quantum fieri potest, non adhibeatur vinum odoratu vel gustu ingratum: ex alia parte, vino extraneo et delectabili v. g., quibusdam vinis hispanicis, saepè imprudenter uteatur, quia non raro hujusmodi vina vel omnino fuerunt fabricata, vel alienis substantiis commixta.

## ARTICULUS TERTIUS.

## DE AQUA IN CALICE CUM VINO MISCENDA.

Olim tenebant Armeni aquam cum vino non miscendam esse, et hujus erroris accusati sunt in concilio Trullano, anno 692, et in illo perseverasse videntur, siquidem Eugenius IV, in Decreto ad Armenos, *Labbe*, t. 13, sic habet : « Decernimus ut etiam ipsi Armeni cum universo » orbe Christiano se conforment, eorumque sacerdotes in » calicis oblatione paululum aquæ, prout dictum est, ad » misceant vino. »

## PROPOSITIO.

*Aqua commiscenda est vino in Eucharistia.*

Propositio ista 1º est certa, ut pote clare expressa in concil. Trid., sess. 12, can. 9 : « Si quis dixerit... aquam » non miscendam esse vino in calice offerendo, eo quod » sit contra Christi institutionem : anathema sit. » 2º Probatur ex perpetua traditione : eam expresse docet S. Just., Apol. 1 : « Diaconi panem, vinum et aquam, in quibus » gratiae actæ sunt, unicuique præsentium distribuunt et » ad absentes perferunt. » S. Cypr., in Epist. 63 jam citata, ubi citans haec Sapientiae verba : *Venite... et bibite vinum quod miscui vobis*, ait : « Vinum mixtum declarat (Spiritus » sanctus), id est, calicem Domini aqua et vino mixtum; » 3º testimonio omnium liturgiarum Latinarum, Græcarum aliarumque Orientalium. Ergo, etc.

*Nunc quædam notanda et explicanda sunt.*

1º Hæc commixtio aquæ est quidem de præcepto ecclesiastico sub mortali : generaliter enim creditur Christum aquam cum vino commiscuisse, et Ecclesia voluit ut ejus ministri idem facerent in memoriam actionis Christi, ad repræsentandam aquam ex latere ejus cum sanguine fluentem et ad significandum populum ipsi adunari, ut ait S. Cypr. in Epistola modo citata, et post eum concil. Florent. in Decreto ad Armenos, loco superius indicato. Sed non est de necessitate sacramenti: id omnes fatentur,

quidquid in contrarium de Catholicis dicant Protestantes ; nec etiam probabilius de præcepto divino, licet plures affirment.

2º Commiscenda est aqua naturalis in modica quantitate juxta verba Eugenii IV, *paululum aquæ*, scilicet, una vel altera gutta, modo tamen sit sensibilis : tertiam partem non excedat, alioquin consecrationem redderet nullam vel saltem dubiam. *Ita communiter theologi.*

Qui misceret aquam rosaceam vel aliam artificialem, etiam in casu necessitatis, mortaliter peccaret, quia in re gravi contra consuetudinem et præceptum Ecclesiae ageret.

Nonnulli dicunt infundere aquam calidam esse peccatum mortale ; alii vero hoc nimis durum aestimant. S. Liguarius videtur approbare ut in regionibus frigidissimis aqua calida adhibeatur, si ita sinat consuetudo, ne vinum congelescat.

Græci solent, sicut et nos, aquam frigidam vino ante oblationem immiscere, ut ex antiquissimis eorum liturgiis, videlicet S. Jacobi, S. Basilii, S. Joannis Chrys. constat; sed insuper quasdam aquæ ferventis guttulas in calicem ante communionem infundunt, ad significandum sancti Spiritus fervorem et conditionem aquæ ex latere Christi adhuc calido fluentis. Vide P. *Goar* et P. *Le Brun*.

3º Quoniam in pluribus locis mos invaluerat ut nimia quantitas aquæ in calicem infunderetur, concil. Tiburiente, anno 895 celebratum, statuit, can. 19, *duas saltem in calice debere esse vini partes, tertiam aquæ* : *Labbe*. Non exigit ut tertia pars aquæ infundatur ; sed prohibet ne excedatur.

Si plus aquæ quam vini fuerit in calice, putat Drouin valitaram tamen consecrationem, quia natura vini remanet et præsumitur Christum non paucissimam miscuisse aquam ; cæteri vero negant, et merito ; materia enim calicis est vinum simpliciter : porro commixtio vini et aquæ, in pari quantitate, simpliciter dici non potest vinum, sed vinum cum aqua vel aqua cum vino. Neque valent rationes allegatae. Non 1ª, alioquin modica vini quantitas cum aqua immixta valide etiam consecrari posset, siquidem naturam

suam physice retinet. Non 2<sup>a</sup>; nam, ex traditione et agendi ratione Ecclesiae, præsumitur Christum non multam adhibuisse aquam ad consecrandum calicem; quia non propter temperantiam sic in illa circumstantia agebat, sed ad repræsentandam aquam ex latere suo cum sanguine fluentem et ad significandum populum sibi adunari.

In eo casu igitur iterum consecrandum esset, saltem sub conditione, *ut supra diximus*.

4<sup>o</sup> Commixtio aquæ cum yino non facienda est in dolio neque in urceolo, non domi, nec in sacristia, sed in calice ante oblationem; a celebrante in missa privata, a subdiacono in missa solemini.

5<sup>o</sup> Si celebrans ante consecrationem adverteret se commixtionem omisisse, aquam benedicere et infundere deberet; si post consecrationem, nihil faciendum esset.

6<sup>o</sup> De fide non est aquam converti in sanguinem Christi: Innocentius III, Decretal. I. 3, tit. 41, cap. 6, dicit probabiliorem esse opinionem quæ asserit aquam cum vino in sanguinem transmutari. Hæc sententia facta est communis inter theologos, qui tamen circa modum hujus conversio- nis sibi non consentiunt: quidam dicunt aquam converti in aquam quæ ex latere Christi cum sanguine fluxit; sed hæc opinio generaliter rejicitur ut irrationalis, quia tunc aqua seorsim a vino consecraretur, sicut vinum a pane. Alii communissime tenent aquam immediate converti in vinum et mediate in sanguinem Christi. Ratio eorum est, quia sola materia consecrabiliis convertitur in sanguinem Christi: atqui solum vinum de vite est materia calicis: ergo. Hæc ratio supponit quod probandum foret, scilicet, aquam cum vino mixtam non esse consecrabilem. Plures sancti Patres contrarium sensisse videntur; v. g., S. Hieronymus et S. Ambros. a S. Ligorio citati, I. 6, Innocentius III, modo relatus. Unde Layman, Card. de Lugo, Tournely, Collet, et plures alii docent vinum et aquam in sanguinem Christi simul et immediate converti.

Cæterum, cum illa controversia nullius sit momenti, eam definire non intendimus.

## ARTICULUS QUARTUS.

## DE MODO QUO MATERIA DEBEAT ESSE PRÆSENS ET DETERMINATA.

Apud omnes constat 1<sup>o</sup> materiam Eucharistiae sacerdoti celebranti moraliter et sensibiliter præsentem esse debere idque eruitur 1<sup>o</sup> ex verbis Christi, *Hoc est, Hic est*, quæ rem præsentem indicant; 2<sup>o</sup> ex perpetua Ecclesiae praxi, quæ materiam absentem nunquam consecravit, nec consecrari posse dixit; 3<sup>o</sup> ex natura sacrificii hostiam præsentem supponentis.

*Hinc* 1<sup>o</sup> valide consecrantur vinum in calice cooperato, in vase, vel cantharo clauso, hostiæ in ciborio inclusæ, sub cumulo latentes. Si vero sub corporali, sub mappa, in Missali laterent, non ita constaret validam fore consecrationem: plurimi affirmant; alii dubitant: ideo pars tūtor, casu adveniente, eligenda foret; id est, si hostiæ sic dubio consecratæ necessariae essent ad communionem dannam fidelibus, vel ad benedictionem impertiendam, iterum verba consecrationis sub conditione pronuntianda essent; secus illæ hostiæ sumenda forent a celebrante post sanguinis sumptionem, ante primam ablutionem. Item valide consecrat cæcus, vel alijs sacerdos in tenebris celebrans; quia non requiritur ut materia videatur aut tangatur; sufficit ut in se vel in continente videri, tangi, vel monstrari possit. Unde auctores non probant eorum praxim qui os ita proxime admovent, ut halitum in calicem vel in panem inspirent.

*Hinc* 2<sup>o</sup> invalide certo consecraretur materia in tabernaculo inclusa, post altare posita, vel longe distans, etsi videri posset, quia re ipsa moraliter presens non esset, quamvis stricte determinari non possit quanta esse oporteat distantia ut consecratio sit nulla. Card. de Lugo et plures cum illo docent eam ad viginti passus certo valitaram; saltem illicita esset ac proinde nunquam sic facienda. Similiter materia tam modica ut sensu percipi non possit, invalide consecraretur.

Apud omnes constat 2º ad validitatem consecrationis requiri ut materia in intentione consecrantis sit determinata; hoc enim 1º postulant pronomina demonstrativa *hoc et hic*; 2º actiones circa objecta indeterminata exerceri non possunt, sed tantum circa singulária et certa.

*Hinc* 1º invalide consecraret qui dimidiā vel tertiam partem hostiarum, juxta se positarum, consecrare vellet, eas in intentione aliter non determinando.

*Hinc* 2º invalide consecrarentur hostiæ, inscio sacerdote, etiam in corporali positæ, a cumulo sejunctæ; quia sacerdos eas penitus ignorans, veram non habuit intentionem illas consecrandi. Similiter non consecrantur guttæ calici exterius adhaerentes, nec probabilius quæ interius adhaerent, quia non sunt per modum continui, nec ideo includuntur in intentione celebrantis qui, dicens *Hic est*, etc., vinum in calice coadunatum, non vero guttas ab illo separatas, consecrare naturaliter intendit. Hic tamen sibi non consentiunt theologi: idcirco hujusmodi guttæ, nisi formaliter consecrancias ab intentione sua exclusisset, habendas forent ut dubie consecratae, et saltem cum prima ablutione sumendæ. Sedulo igitur, non tamen scrupulose, abstergendæ sunt, ante oblationem, particulæ vini et aquæ calici interius adhaerentes, et melius videtur formalem habere intentionem eas quæ forte remanerent, non consecrandi. Idem dicendum est de micis in patena vel corporali separatis: non autem de iis quæ adhaerent hostiis consecrandis vel in ciborio sunt; simul cum hostiis consecrari debent. Vide S. Ligorium, l. 6, n. 215.

*Hinc* 3º sacerdos qui positivam habuit intentionem materiam presentem consecrandi, etsi plures sint hostiæ a se vel ab alio positæ quam putat, omnes valide consecrat, quia omnes in intentione ejus realiter includuntur. Item si ante consecrationem, de hostiis consecrandis monitus fuerit et consenserit, valide consecrat, licet actu de illis non cogitet, quia habuit intentionem virtualem ad validitatem sacramenti sufficientem.

Similiter, quamvis ciborum in corporali positum discooperire, ut fert Rubrica, oblitus fuerit, sive pro oblatione

ne, sive pro consecratione, valet nihilominus consecratio, modo de illa facienda prius cogitaverit. *Est sententia communis.* Non valeret vero probabilissime si ex oblivione ciborum extra corporale relictum fuisset; quia, cum ibi consecrari non possit absque peccato, sacerdos non censetur habuisse intentionem illud sic consecrandi. Quoniam tamen nonnulli arbitrantur hostias in eo casu esse consecrataς, sumi debent ante primam ablutionem. Ita communiter theologi, contradicente tamen S. Ligorio, l. 6, n. 217.

Si parvæ hostiæ pro communicandis fidelibus offerantur sacerdoti consecrandæ, oblatione jam facta, sed ante præfationem, imo et ante canonem, licet eas consecrat, oblationem mentaliter supplendo. Sic Gavantus et communiter theologi, quibus consentit Bened. XIV, de Missæ sacrificio, l. 3, cap. 18, n. 5, si alias plures sine communione manerent; si vero unus tantum mansurus esset, potius ei danda foret pars magnæ hostiæ, v. g., ne diu expectaret. Sic multi apud S. Ligorium, ibid.

Ilicite consecrat, 1º qui nimilam panis aut vini quantitatem adhibet, propter periculum ne aliquid depereat aut corrumpatur; 2º qui vas in quo positæ sunt hostiæ consecrandæ non aperit; 3º qui hostias extra corporale positas consecrare sibi proponit; 4º qui guttas calici exterius adhaerentes vult consecrare: adesset enim profanationis periculum.

### ARTICULUS QUINTUS.

Certum est unam speciem sine altera, saltem seclusa intentione alteram non consecrandi, valide consecrari posse: nam, prolatis verbis, *Hoc est corpus meum*, statim corpus Christi sub specie panis existit; et similiter sanguis sub specie vini, dictis verbis, *Hic est sanguis meus*. Ergo. Quid si celebrans positivam haberet intentionem alteram speciem non consecrandi? Dicemus infra.

## PROPOSITIO.

*Jure divino prohibetur ne una species sine altera consecretur.*

*Prob. 1º Scriptura sacra.* Christus enim, postquam panem et vinum in corpus et sanguinem suum consecravit, dixit discipulis, et cunctis sacerdotibus eorum in eo successoribus: *Hoc facite in meam commemorationem*: ergo præcepit ut similiter panem et vinum consecrarent. Sic universalis et constans traditio prædicta Domini verba intellexit et catholica Ecclesia docuit, ut ait concil. Trident., sess. 22, cap. 1.

// *2º Concilio Trid.*, sess. 22, cap. 1, ubi dicitur Christum qui corpus suum et sanguinem sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit, Apostolis præcepisse ut idem facerent, et canone 2º ejusdem sess. ait: « Si quis dixerit illis verbis, » *Hoc facite*, etc., Christum non instituisse Apostolos sa- » cerdotes, aut non ordinasse ut ipsi aliique sacerdotes of- » ferrent corpus et sanguinem suum: anathema sit. » Ergo, juxta mentem concilii, unam speciem ab altera separare non licet.

*3º Ratione.* Eucharistia per modum convivii spiritualis, in quo est cibus et potus, instituta est: ergo. *Neque dicatur* totum sacramentum sub una specie sumi; nam essentia sacramenti, prout Christus illud instituit et fieri præcepit, non in sumptione consistit, sed in consecratione. Ergo.

Quidam arbitriati sunt præceptum istud esse tantum ecclesiasticum, et summum Pontificem ab illo dispensare posse; sed alii communissime docent illud esse divinum, propter rationes modo expositas, ac consequenter Pontificem maximum ab illo dispensare non posse, nequidem ut viaticum moribundo ministraretur.

*Petitur* an valida esset consecratio si sacerdos positivam haberet intentionem alteram speciem non consecrandi. Negat Card. de Lugo, et ratio ejus est, quia essentia sacrificii in consecratione utriusque speciei consistit et dividi non potest. Alii vero communiter affirmant, quia forma uni-

cuique speciei applicata, facit totum morale: ergo effectus producitur.

Quidquid sit, certum est gravissime peccaturum sacerdotem qui unam speciem sine altera consecrare intenderet, « quia divisio unius ejusdem mysterii sine grandi sacri- » gio non potest provenire: » Decreti Gratiani 3ª parte, dist. 2, can. 12.

*Hinc 1º* sacerdos unam speciem sine altera consecrare non posset, etiam ad vitandam mortem ab alio ob hunc finem minatam, quia contra præceptum divinum directe ageret.

*Hinc 2º* si advertat se protulisse verba consecrationis in aquam vel alium liquorem a vino diversum, vinum aqua immixtum et mente oblatum consecret, ut fert Rubrica, ne sacramentum maneat imperfectum. De cætero videatur rubrica missalis romani, *de defectibus*, ubi varii casus solvuntur.

*Hinc 3º* si, hostia consecrata, celebrans subito moriatur, vel loquela perdat, vel in amentiam incidat, alius, si fieri potest, accersatur sacerdos, etiam non jejunus, qui sacrificium perficiat; et si sacerdos deficiens communicare possit, fragmentum hostiae ab illo consecratæ ei tribuatur, ut perfectius sit sacrificium. Ita S. Ligoriū, l. 6, n. 197, et plures apud ipsum.

Attamen obligatio alteram speciem consecrandi cessat: 1º si sacerdos non advertat se alium liquorem pro vino consecrasse, nisi postquam altare deseruit; 2º si vinum non habeat; 3º si illo, absque gravi scando, aut vitæ periculo, aut magno simili incommodo uti non possit; 4º si, post hostiam consecratam, subitum mortis periculum immineat, ab hostibus, ab incendio, a fulmine, etc., secluso tamen scando et fidei contemptu; 5º si, celebrante deficiente, alius non inveniatur sacerdos qui sacrificium continuare possit, antequam moralis interruptio existat: moralis autem interruptio censemur existere si spatium duarum horarum effluxerit, inquit Collet. Pro diversis his exceptiōibus vide Rubricam, *de Defectu vini*, n. 8, et S. Ligoriū, l. 6, n. 197.